
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1034
44

Ex legato D. [illegible] Antonij
Francisci [illegible]


ORATIO DE

LAVDIBVS FERRARIENSIVM,

A FRATRE LVCA MACCHIAVELLIO BO
nonienſi, Ordinis Seruorum, in comi
tijs Generalibus habita Ferrariæ: in æde
diui Georgii: ab eodem compoſita, atq;
rogatu amicorum,
Alfonſo II. Principe Ferrarienſi Illuſtriſſimo
regnante, in lucem edita.







Bononiæ Peregrinus Bonardus Excudebat.
M. D. LX.

HIPPOLYTO ESTENSI CARDInali Illustrissimo, Frater Lucas Macchiauellius Bononiensis, Ordinis Seruorum, S. P. D.



INdormissem profectò diutius, in hoc grauissimo, mihi tradito negotio, de laudanda Ferrariensium ciuitate: ni sol ille tui animi splendidissimus, me sua luce clarissima, quasi è somno excitasset: suisq; innumerabilibus virtutum radijs, eam timoris obscuritatem sustulisset: quam mihi meæ cogitationes attulerant, verecundia, ac desperatione cumulatæ. Cunctanti enim mihi, meisq;, vel animi, vel doctrinæ viribus diffidenti, ob laudes tot illustrium virorum oratione colligendas, tanta celeritate præstó fuit illa tua singularis amplitudo, morumq; lenitas admirabilis: ut ingenij, eloquentiæq; meæ tenuitatem oblitus, statim erecto animo, in hanc viã scribendi, ac dicendi quàm politissimè, quàmq; grauissimè possem, de laudibus Ferrariensium, me libenter, ac iocundè dederim. Nec me de cursu deflexit iter difficile, æstu, sudore, puluereq; refertum; nam te auspice fortunatissimo, ita sum erectus ad metam gloriæ, ante oculos

mihi constitutam: ut non modò, è carceribus erupisse, me non pœnituerit: at etiam, te duce Illustrissimo, victoriam non desperarim. Illa tua altissima humanitas, quæ in vultus maiestate sedet: in vocis lenitate ridet: in manuum liberalitate floret: in animi altitudine conquiescit: illa fuit, Hippolyte Illustrissime, quæ me tui colendi cupiditate incensum, ad hanc prouinciam inflammauit; atq; ita, vt nihil vnquam ardentius, in omni vita cognouerim. Hæc .n. cum in tenebris abdita non lateat: at in luce hominum amanter, & iucundè viuat: infimos quosq; comitate complectitur; studiosos verò bonorum morum, & virtutis, summis studijs, maximisq; beneficijs, ornatissimos reddit. Huic tuæ incredibili humanitati, fateor me quàm qui maximè debere; quòd per hanc ipsam ad id, puncto temporis euolarim: ad quod multos annos, erectis manibus, oculis elatis, animoq; inflammato, ita cupidè aspirabam: vt omnia mihi, quæ amplissima sunt à fortuna datum iri putarem: si meæ in te beneuolentiæ, amoris, ac fidei specimen præbuissem: lumenúe aliquod, meæ constantissimæ, erga te voluntatis ostendissem. Verùm quoniam, ingenua quadam verecundia impeditus, in tuum conspectum lenissimum, ipse prodire nũquam ausus fuissem: quin etiam, hoc ardenti desiderio, potius discessissem inuitus è vita: hanc flammam ex animo, per literas

erumpere permiſi; ut quanti te, ſplendidiſsimum Cardinalem, ſemper fecerim: apud animi tui altitudinem, teſtatum relinquerem. Hæc oratio igitur, quam nuper habui Ferrariæ, de præſtantiſsimorum ciuium tuorum laudibus, exultans, & alacris, ad te ſolem ſuum ſplendidiſsimum omni feſtinatione properat. Quòd ſi hanc omni tua comitate, complexus fueris, uti ſpero, ac exopto: & inuidorum nebulæ, quæ ingeniorum aciem, ſæpenumero perſtringere ſolent: hominesq́, uel pluſquam mediocriter eruditos, à ſcribendo deterrere, tua luce clariſsima euaneſcent: & ego tuæ humanitati, quæ me immortali beneficio affecit, ſempiterna recordatione, deuinctus uidebor. Vale, Decus Italiæ, Ferrarienſium ſalus, Chriſtianæ religionis uinculum.

Datum Ferrariæ, nono calendas Iunij. M. D. LX.

ORATIO FRATRIS LVCAE MAC chiauellij Bononiensis, ordinis Seruorum, de laudibus Ferrariensium.



Ocorum insolentia mouet ita nonnullos oratores, cum ad dicendum surrexerint: vt quod onus dicendi, sua sponte, vel aliorum inuitatu susceperant: illud, cum animo iam ceciderint, libentissimi deponant. Magnitudine rei, ita perturbantur alij, orationis initio: vt, quasi ventis aduersis iactati, nec cursum, quem optabant, dicendo conficere possint; nec optatum portum tranquillissimè tenere. Ego verò, & si cum caeteris oratoribus, magnis dicendi oneribus premor: quòd insolens me Athenas contulerim; & si summis fluctibus animi conflictor: quòd me difficillimae nauigationi commiserim; vestro tamen aspectu clementissimo ita recreor: vestra lenitate opportunissima, ita respiro: vt animum ad optimam spem iam erexerim; vires ad dicendum receperim; humeros ad ferendum confirmarim. Praesertim quòd apud eos verba facio: qui mihi alleuationem pollicentur, ac summam tranquillitatem; apud eos sermonem habeo: qui, cum sint Alexandrò Magno humanio-

res, suarum virtutum imaginem pulcherrimam, non tantum ab Apelle, at à cæteris quoq; pictoribus pingi patiuntur; cum sint Lucullo Romano liberaliores: fructum suarum virtutum, vel à minimis percipi, non molestè ferunt. Cum vos intueor (ciues humanißimi,) videre videor hortos Cimonis Atheniensis, omni florum amœnitate, omni fructuum copia redundantes. Patent nunc vestræ laudes omnibus oratoribus: vt olim, horti Cimonis omnibus atheniensibus, ad suam ipsorum vtilitatem dies, noctesq; patebant. Licet summis oratoribus vestras laudes colligere: vt suauitates odorum, qui è floribus vestræ sapientiæ incredibilis, afflantur, non modò sentiant: at fructus quoq; vestræ prudentiæ singularis, qui maximi sunt, summa cum voluptate percipiant; Licet etiam, per vestram benignitatem, ijs, qui in secundis, tertijsúe constiterunt: vt, & si vos in cœlum diuinis laudibus, efferre, ingenij imbecillitate non poßint: poßint tamen, splendore vestrarum virtutum clarißimo, ipsi plurimũ collustrari. Quare, licebit & mihi, parêre cupienti: hodierno die, ad meam vtilitatem, ingredi campum laudum huius nobilißimæ ciuitatis; vbi præ cæteris virtutes florent: fructusq; vberrimos ferunt; vbi leges sanctißimè custodiuntur; magistratus amantißimè obseruantur; vbi demum mali ciues, in tenebris versanteis, debitam pœnam sustinent;

nent;

nent; boni verò, summo cum fulgore collucentes, amplißimis præmijs decorantur. Gratulor vobis, iuuenes modestißimi; Gratulor vobis senes prudentißimi: porrigo dexteram: vos complector animo; propterea quòd in vestra ciuitate, illa regnare video: quæ respublicas iacentes erigunt: erectas confirmant: confirmatas extollunt; quò firmius, quò diutius, quoúe splendidius non modo consistere, ac permanere poßint: at etiam in perpetuũ, summa cum dignitate, cæteris omnibus ciuitatibus præstare. Regnat hic admiranda virtus, in terras è cœlo delapsa: quæ vos beatos facit; Beata igitur, ob diuinam virtutem Ferraria. Regnat hic singularis obedientia ciuium in principem, incredibili amore condita: quæ vos felices reddit; felix igitur, ob ciuium obedientiam, Ferraria. Regnat hic & summa Principis æquitas, omni liberalitatis genere cumulata: quæ vos fortunatos efficit; fortunata igitur, ob Principis æquitatem, Ferraria. Quid, quæsò, aliud, in optima, ac benè constituta ciuitate, desiderari potest? Quid, quæsò, aliud? num diuitiæ? num opes? num tecta, auro fulgentia? num vermiculata emblemata? num soli vbertas? frugum maturitas? hortorũ amœnitas? fructuum copia? dulces fontes? colles aprici? flumina vaga? Hæc hæc sunt, altißimi viri, caduci corporis commoda; hæc sunt temporis ludibria; hæc in manu

fortunæ posita; hæc vetustate consenescunt, ac obruuntur; hæc, vt minima, studiosi virtutis, huius nobilissimæ ciuitatis, libentissimis animis abiecerunt; Propterea quòd alta, magnifica, diuina, totos dies præstanti mente, suspiciunt, ac intuentur beati. Hæc vt vmbras ciues Ferrarienses neglexerunt: cum animos ad cursum gloriæ consequendum: ad lucemq; sui principis fruendam erexerint felices. Hæc vt leuia, Alfonsus princeps vester illustrissimus, in minimis posuit: qui totus est in seditionum fluctibus sedandis: totus in tranquillitate ciuium conseruanda: totus in republica, bonis animi amplificanda, fortunatus. Quòd si dandum est aliquid, hisce vitæ commodis: hisce ingenij, naturæq; ornamentis: vt dandum est; quoniam corpore constamus, nedùm immortali anima; modicè iuuenes, modicè, vel potius intra modum, hoc faciendum puto; atq; in hoc, vt cæteris in rebus, Ferrariensium prudentiam singularem, imitandam censeo. Hi enim, cum maiorem animi; quàm corporis, rationem ducant: cumq; veram laudem, in virtute positam, contemplentur; non elaborant, vt delitijs, Neapolim vincant: amænitate, Veronam: vbertate, Mediolanum: mercibus, Venetias: pulchritudine, Florentiam; at in hoc, omni cura, cogitationeq; incumbunt: vt cum Roma, sanctitate: cum Bononia, virtutibus: cum Pisau

ro, armorum præstantia, incredibili sua gloria decertent. Quid post hominum memoriam gloriosius, sanctitatis contentione? Quid splendidius, virtutum certamine? Quid armorum decertatione, fructuosius? Sanctitate, patres, mores componuntur; virtutibus, adolescentes, mentes exornantur; armis iuuenes, animi corroborantur. Sanctitate, patres, debiti cultus, Deo Optimo maximo persoluuntur; virtutibus, adolescentes, honores benè meritis de virtute, tribuuntur; armis iuuenes, salus ciuium, atq; fortunæ conseruantur. Hæc sunt mœnia hominum firmißima; hæc sunt munitißima, ciuium propugnacula; hæc ornamenta ciuitatum. Vnde nam Ferrariæ propagatio? Vnde ciuium splendor? Vnde populi tranquillitas, & conseruatio? Num fortasse, à delitijs: quibus homines effœminantur? Num à magnificis ædibus: quibus homines inflantur? Num ab opibus: quibus otio languescunt homines? Nihil minus: nihil minus ciues. Vnde nam igitur? vnde nam? Dicam, patres, atq; iterum, clara voce dicam; à sanctitate: à rerum altißimarum cognitione: ab armorum excellentia. Sanctitate enim, vrbes confirmantur; virtutibus, ciuitates illustrantur; armis fines patriæ propagantur. Fuit olim hæc ciuitas, Ferrariola (rerum enim principia, parua sunt ab initio) iam verò, facta est Ferraria, tam magna, potens, ac splendi-

da: ut magnitudinem, finitimi, iniquissimo animo ferant; potentiam, exteræ nationes admirentur; splendore, ciues uiui perfruantur. Abundauit olim ferro Ferraria; iam uerò, tantis opibus floret: ut templa Dei, Deo Optimo, Maximo, maxima extruxerit; ut domos, ac ædes splendidissimas ædificarit; ut uiros, omni uirtutum genere cumulatos, aduocarit. Subdita olim fuit, culpa temporum, Ferraria; iam uerò, multis & oppidis, & ciuitatibus dominatur; atq; ita dominatur: ut prudentia, se ipsa conseruet; pietate, Deum Optimum Maximum colat; iustitia, ciues, & socios, ad sui beneuolentiam, in dies magis alliciat. Audite ciues, audite felicitatem uestræ ciuitatis, audite inquilini. Deus Optimus Maximus Ferrariam condidit; conditam, fortuna secunda nutriuit; nutritam, uirtus ciuium amplificauit. Quotus enim quisq; uestrum est, qui non perspectum habeat: ea Dei uoluntate geri: quæ auspicatò geruntur? Quid? nonne auspicatò fuit condita Ferraria: si ad Padum fluuium fuit condita? hic enim, cum cætera flumina regat, & gubernet: Ferrariam multarum ciuitatum dominam futuram præsagiuit. Quid? nonne bonis auibus fortunæ, nutrita Ferraria: si diuitijs, & opibus florentissima, in omni rerum abundantia uiuit? nonne uirtute ciuium amplificata: si armis Ferrariensium, est ui

rium, nobilitatis, ac præstantiæ tantum, quantum vidετis consecuta? Quid sibi volunt imagines illæ principũ Ferrariensium: quas in oculis ciuium viuere videmus? Quid sibi simulachra, illa maiestatis plenißima? Quid statuæ ille æquestres, in excelso illustriq; loco positæ? Dicite iuuenes: qui à maioribus accepistis; dicite senes, qui annales legistis; dicite ciues, qui vestris principibus, fidem sanctißimè seruastis. An hoc nobis significare volunt, vestros principes, rerum gestarum gloria, præ cæteris floruiße? arma pro libertate Italiæ, contra Imperatores sumpsiße? fortunas, liberos, vxores, pro amplißima pontificum dignitate, in maximum discrimen adduxiſſe? Conseruat memoriam Azzi quarti, principis vestri, atq; in perpetuum conseruabit Verona ciuitas florentißima; quæ per illum, ex Ezelini crudelißimi tyranni faucibus erepta fuit: atq; in pristinam libertatem vindicata. Conseruat memoriam Bertoldi principis Ferrariensis, & Roma sanctißima; propterea quòd per illum vidit, & Henrici Imperatoris, fractum furorem: & Pasqualum pontificem clementißimum, cum maiestate, sibi, ac bonis omnibus restitutum. Quoties huius nobilißimæ ciuitatis principes, impetum barbarorum suis corporibus, & animi fortitudine retardarunt? Quoties illis arma de manibus extorserunt? Quoties profligarunt; ne iuga seruitu

tis acerbißima, liberis Italorum ceruicibus imponerentur? O, Romana pectora, videre videor, auditores humanißimi, non principes Ferrarienses: at Decios: at Curtios: at Coclites, pro libertate patriæ, pro Italiæ maiestate, fortunas, sanguinem, vitam omnibus dulcißimam profundentes. Quæ cum literis mandata lego, adducor facile ciues: vt existimem Ferrariam, non à Ferrato conditore, non à ferro, quod olim pro tributo persoluerint maiores vestri: sed à ferro, quod peritè, fortiter, & prudenter ciues, ac duces Ferrarienses tractarint, à maioribus fuisse nuncupatam. Prudentißimi fuerunt igitur, duces vestri, in Republica benè gerenda; fortißimi in amplificanda; qui quidē, vt florentißimam ciuitatem, omnibusq́ copijs, & virtutis, & diuitiarum circunfluentem conseruarent: eam vinculo religionis arctißimè, constringendam curarunt; sua nanq; incredibili sapiētia, aliarumq́ ciuitatum periculo, perspectum habebant, & cognitum, non opes, non delicias, non imperia, non munitißima mœnia, sed religionē solam, solam religionem, qua terrena cœlestibus coniunguntur, plurimùm virium, atq; firmamenti habere, ad respublicas, in perpetuum confirmandas. Spartiatæ, quoad legibus sanctißimis Ligurgi, quibus iureiurando astricti tenebantur, non se penitus exoluerunt: & fortuna belli bellicosißimi, & vrbis felici-

felicitate felicißimi: cæteras Græciæ ciuitates superarunt. Cum verò, Dei iusiurandum impiè violarunt: fidemq; datam Ligurgo, perfidè fefellerunt: tùm demum, illorum benè constituta Respublica stans, dilapsa cecidit; tum ciuitas, optimis legibus deuincta: mala viuendi ratione, peccandiq; consuetudine, est penitus dissoluta. Sybaris vrbs magnæ Græciæ, Sybariticis conuiuijs celeberrima, licet auro, licet gemmis, delitijsq; redundaret: à Crotoniatis tamen, cum parui Deum faceret: delitias verò plurimi: est, & opibus, & imperio, non modò labefactata: at suis quoq; sedibus cõuulsa. Quid quòd Romani, cæterarum nationum prudentißimi, de medio sublato Romulo, Numam Pompilium, virum Sabinum, priuatum hominem, in suum regem optarunt, & legerunt? An vt quam ciuitatem, Romulus bellicosus, armis erexerat: eam, Numa Pompilius, religionis amantißimus, religione confirmaret? Quid quòd, hæc ciuitas (vt nimis antiqua præteream) per suos duces, in optimo statu collocata, amplißimis honoribus abundans, rerum gestarum gloria, quàmquæ maximè florens, de statu, quem nunc retinet amplißimum, non insidijs, non armis, non bello dimoueri potest? An hoc fortunæ tribuemus? at nihil inconstantius; an copijs, & opibus? at nihil turbulentius; an corporis voluptatibus? at nihil perniciosius

niciosius. Cui nam igitur rei? cui nam, primas, in re tan ta deferemus? cui? religioni sanctißimæ, ciues; quæ, cū sit Dei donum, è cælo, in terras, ad hominum vtilitatem delapsum: ciuitates firmat; propulsat pericula; insidias detegit; impetum reprimit; hostes dißipat; coniurationes indagat, inuenit, patefacit: Deus enim, Optimus Maximus (ò admirandam religionis potentiam) Deus Optimus Maximus, (quæ sua est, in homines be nignitas) illarum ciuitatum curam, & patrocinium libenter suscipit: quæ se totas illi, in seruitutem tradunt; quæ religionem, sanctißimè colunt; sacra, summa cum pietate, conficiunt; meritam verò gratiam, suo diuino numini, libentißimè persoluunt. Vos, vos igitur, beati Ferrarienses: beati? immo vero beatißimi; qui ne, quid vobis, ad benè, beateq́; viuendum deesse posset: religione, qua vestri principes vos astrinxerunt, non modò exolui noluistis vnquam: at ne relaxari quidem. Vos, vos felices Ferrarienses; felices? immo verò felicißimi; cum eos principes, iam indè ab initiò, semper nacti fueritis: qui vobis non leges duras, ac intollerandas, per vim imposuerint; at vos legibus, cùm humanis, tum diuinis, à religione, quasi quodam terreno sole manantibus, illustrarint, exornarint, inflammarint. Quid ita? Nimirum, vt humanis quidem legibus, ad præclara facinora,

vobis aditus pateret; diuinis verò, vt ab humanis rebus, & ijs quidem turbulentissimis, ad cælestia tranquillitatis plenissima, per alas charitatis ardenteis, vobis lætius conuolare liceret. Res benè cecidit, ciues, vt video: res benè cecidit; siquidem humanarum legum splendore, ex Ferrariensibus nonnulli, gloria commoti, vt iniuriam à ciuibus propulsarent: à patria verò periculum, ab initio vitæ, armis se totos tradiderunt, atq; ita tradiderunt: vt progrediente ætate, armis imperarent. Res benè cecidit, ciues; siquidem, alij honoris cupiditate inuitati, rerum altissimarum cognitionem, vt se, suamq; patriam, maximis ornamentis afficerent, ingenio, labore, doctrina sunt consecuti. Res benè cecidit; alij nanq;, diuinarum legum ardore inflammati, ad vitæ sanctitatem, è perniciosæ voluptatis manibus elapsi, læti demigrarunt; vt cum Dei iussu, ex hisce corporis custodijs laxati euolarint: possint finem suum, in cælis constitutum, & iocundè, & in perpetuum contemplari. Primis igitur, tanquam bonis ciuibus, debitam gloriam tribuemus. Secundis honorem; vt virtutis mercedem, ac præmium. Tertijs verò palmam reseruabimus; quippè qui, spreta gloria, honoreq; mundi contempto, omnem suam curam, operam, diligentiam, spem, mentem deniq; totam, in Deo Optimo Maximo, ponendam putarint. Laudo pri

mos : ob animi altitudinem; Veneror secundos : ob ingenij præstantiam ; Ad cælum extollo tertios : ob morum sanctitatem. Celebrarem libenter, hoc loco, ciues humanissimi, Alfonsum Villam ; Antonium Mariam Campanilium ; Ioãnem Paulum ; Ioannem Thomam Lebetios, duces præclarissimos ; celebrarem memoriter, & iucundè, Herculem Cõtrarium ; Theophilum Calcagninium ; Alfonsum Tassonium, comites illustres : rei aut militaris, duces peritissimos ; tollerem in cælum, non inuitus, Cornelium Bentiuolum : cum suis fratribus; Vt alterum, in administranda re bellica, Scipionem Africanum; tollerem, & dominum Franciscum Estensem : non modò ducem, præfectumq́ militum, ob armorum tractationem, consiliaq́ bellica illustrissimum : at etiam, Virum rerum admirabilium, & occultarum cognitione, præstantissimum ; at oratorem non decet, non decet oratorem, absq; temeritatis nota : coram Annibale, de armorum tractatione, de Martis præstantia, sermonem habere ; & si ornatè, grauiter, & illuminatè, hoc se facturum speraret. Illustrarem laudibus, si possem, Cælium Calcagninium; Peregrinum ; Priscianum ; Gregorium, & Ioannem Baptistam Giraldios ; Ioannem Mariam Riminaldium ; Ludouicum; Catonem ; Ioãnem Cephalium; Franciscum Belencinium ; Ioannem Roncagallium ; Martũ

Brunum Anguillium; Antonium Mariam Cananiũ: Antonium Musam Brasaolam; Vincentium Maggium Brixiensem, philosophum hac nostra tempestate, celeberrimum: verum cum nondum, hac mea tenui eloquentia, tantum splendorem verborum sim consecutus: quantum illi, virtute, ac rebus praeclarißime gestis: hoc onus, quod animi infirmitate, mentisq; obscuritate ferre, ferre? immò amplius sustinere, non poßum: summis oratoribus, qui plurimi sunt, in hac doctißimorum hominum frequentia, libentißime imponam. Suscipite Igitur, ciues Ferrarienses, quibus res gestæ vestrorum ducum, somnum adimunt, vt Themistocli, Miltiadis trophæa, suscipite onus, arma laudandi; vestrarum virium est: vestri roboris, ac neruorum; vos enim, vsum armorum percalletis; vos (quod singulare est, ac summè gloriosũ) ingenio, doctrina, eloquentiaq; plurimum valetis. Suscipite Cynthij: suscipite Pinij: suscipite Guarinij: qui alta semper contemplamini: qui ætatem in dicendo consumpsistis: qui Vincentium Maggium, interpretem naturæ disertißimum admiramini; Antonij Cananij, vt alterius Aesculapij curationes obstupescitis; Qui Antonij Musæ Brasaolæ, toties Romam, à summis Pontificibus, ob illorum valetudinem curandã accersiti, excellentiam singularem memoria tenetis. Suscipite virtutis

extollendæ, partes; vestri ingenij est; vestræ dignitatis: vestræ eloquentiæ singularis. Vos enim Ludouicum iuris peritum, ut tertium Catonem, de cælo delapsum suspicitis. Vos Roncagallij scripta doctissima, quotidie præ manibus habetis. Vos Francisci Belencinij, cum elegantiam, tum eximiam doctrinam percepistis; Ioannis Mariæ Riminaldij prudentiam, in existimando cognostis; fidem, ac amorem Cephalij, in consilio dando, experti fuistis; Marci Bruni Anguilij consilia, tanquam Apollinis Pythij oracula, custoditis. Vos Prisciani, Gregorijq́ historia delectamini. Vos Cælio Calcagninio, literis, cum græcis, tum latinis perpolito, ut mortuo memoriam, ut ciui beneuolentiam, ut erudito honorem debitum præstatis. Preteribitisne silentio, Oratores Ferrarienses, Ludouicum Arioſtũ, vestrũ ciuem: virum ob diuinã virtutem, diuinis laudibus efferendum? Hic ter ΑΡΙΣΤΟΣ *hic ter* ΑΡΙΣΤΟΣ, *& dici, & haberi debet. Nam si vos vestrosq́ principes, suis carminibus, in cælum sustulit: si tibi Ferraria, illi dulcissima patria, immortalem gloriã cõparauit: nonne Ariostus* ΑΡΙΣΤΟΣ ΠΟΙΗΤΗΣ *est nuncupandus? si comitate suos omnes, semper est complexus: si humanitate, illos humanissime tractauit: nonne Ariostus* ΑΡΙΣΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΣ *est habẽdus? si suũ principẽ, in hoc genere Reipublicæ cõstitutus, summa semper obseruã*

tia

tia coluit: nōne Arioſtus ΑΡΙΣΤΟΣ ΠΟΛΙΤΗΣ *eſt appellandus? Quòd ſi Roma extulit ſe magnificè, ob Catonē ter optimum: & Ferraria non demittet caput: non ſe proſternet: non iacebit, vt miſera; at vt felix erigetur: ſtabit: extolletur, ob Ludouicum, qui optimus vir fuit: optimus poeta; optimus ciuis, & patriæ ſalutaris. Potuit vtiq;, in humanitate ſocios habere Ludouicus; potuit, & in ciuis officio; at in eiuſmodi carminibus fingendis, nemo niſi longè ab illo ſuperatus, in illius ſocietatem ſe obtulit. Hæc igitur laus, quæ ſumma eſt, & ampliſſima: tota ſua eſt; nihil ex ea ciues, nihil inquilini, nihil finitimi, nihil alieni decerpere potuerunt; hanc ſibi totā ſumpſit Arioſtus; hanc ſibi ſuo iure vendicauit. En vobis Igitur, Ferrarienſes, veſter Ludouicus: tantopere ab eruditiſſimis laudatus; & ſi nunquam ſatis digne laudatus; en vobis veſter Ludouicus; qui plus laudis ſuo poemate, in veſtram ciuitatem inuexit: quàm gloriæ Themiſtocles Athenas, ſua victoria importarit. En veſter Arioſtus* ΑΡΕΟΣ ΣΤΟΜΑ, *os Martis; qui in canendis bellis, ita feſtiuus, ita elegans, ita concinnus fuit grauis, doctus, atq; illuſtris: vt ſi eum comparare velis quocum ipſum conferas, inuenias neminem. Hunc præ manibus, ſemper habent pueri: vt ediſcant; hunc matronæ habent: vt mirentur: hunc adoleſcentes: vt in lau*

de ponant: hunc iuuenes: ut fructum percipiant; hunc senes: ut se oblectent. Prodest igitur, & delectat Ariostus, ut quiuis poeta; docet in suis carminibus: ut grauißimus philosophus; permouet, ut uenustißimus orator. Præteribitisne silentio (Oratores grauißimi) Franciscum Visdominum: Ioannem Mariam Verathium: Cesarium Taßonium: Iacobum Philippum Androphilũ: Philippum Nigrisolium, uiros, & religione, & uinculo uirtutis obstrictos? Preteribitisne Antonium Beccarium: Felinum Sandeum: Ioannem Sanctium, Episcopos sanctitatis plenißimos; quos Ferraria procreauit; nutriuit Bononia; tota uerò Italia, ob mores sanctißimos, singularemq; doctrinam, excepit, audiuit, admirata fuit? Legite quæsò scripta Ioannis Mariæ Verathij, Carmelitæ; legite docti; tum demum, quanta fuerit grauitas uiri: quanta literarum interiorum cognitio: quàm semper benè de Christi religione senserit: optimeq; meritus fuerit: facilè perspicietis. Legite Orationes Iacobi Philippi Androphili: qui fuit nostræ societatis pater; omni celebratione dignißimus; legite Orationes: quas Romæ, in Collegio Cardinalium, coram summo Pontifice, diuersis temporibus habuit; tum demum, morum integritatem uiri, sapientiæ admirationem, scientiæ cognitionem, prudentiæ laudem, animi altitudinem, oratio-

nis numerum, compositionis lumina, delectum verborum, sententiarum grauitatem, cognoscetis. Hunc vigilantes Episcopi, viri, dicendi venustatem adamantes, ita benignè, attenteq; audiebant: vt vix auderent, ipso dicente, respirare. Hunc amplissimi Cardinales, vultus maiestate capti, vocis suauitate fruentes, dicentem ita mirabantur: vt non Androphilum dicere, at Demosthenem, at Ciceronem reuixisse putarent. Hic locus ad dicendum amplissimus, ad disputandum etiam, maximè accomodatus, hæ sacratissimæ columnæ, hi parietes, antiquitatis pleni, reuocant ad memoriam duo lumina, probitatis, & doctrinæ, huius nobilissimæ ciuitatis, Cesarium, & Philippum, nostræ religionis Doctores, quàm maximè celebratos. Quorum alter, nempè Cesarius, studio politioris humanitatis excultus, sacris literis eruditus, omnibus doctrinis expolitus, cum in otio cum dignitate, summaq; populi laude versaretur: etiam suis sanctissimis concionibus, in negotio sine periculo, in optima republica, beatus versari voluit. Itaq; Fidei, Spei, Charitatis præsidio munitus, cæterarumq; virtutum comitatu septus, in hanc concionem, in hanc, patres, quæ grauissimis, doctissimisq; viris tantum patet, expectatus omnibus ascendit, tanto populi concursu: vt hoc pauimentum, vt hæc sacella, hi fornices, vestibula, aditus, gradus.

quoq; templi, certatim complerentur. Flagrabant omnes ardenti desiderio videndi Cesarij; ardebant omnes, incredibili cupiditate illius audiendi; atq; suis sanctißimis concionibus, auidè perfruendi; tanta fama, de viri doctrina, deq; eius probitate, oras totius Italiæ, ne dùm fines Ferrariæ peragrarat. Non fuerunt maiores vestri (ciues humanißimi) non fuerunt spe, quam de Cesario habebant, decepti; non falsi opinione; siquidem Cesarius expectationem, quam sui concitarat, non modò sustinuit: at eam quoq; incredibili virtute superauit. Quot enim mulieres impudicas, è cursu turpitudinis, ad honestatem, Cesarius voce reuocauit? Quot perditos adolescentes, ad animi sanitatem? Quot helluones, ad vitæ continentiam? Quot effœminatos, ad animi fortitudinē? Quot homicidas, ad ciuium salutem? Hic ille Cesarius, (testificamini patres,) qui suis concionibus, vestris animis, medicinam salutarem adhibuit; Hic ille Cesarius (testificamini senes) qui reorum saluti, sua incredibili diligentia consuluit; hic ille Cesarius, qui pestilentum hominum rationibus, sua pietate singulari prouidit. Alter verò, nimirum Philippus, subtilißimus, acutißimusq; disputator: cum dialecticorum acumine, philosophorum scientia, theologorum sapientia, valeret plurimum: erat in concertationibus virtutis, & gloriæ, qua, vel optimi

quiq; ducuntur, promptus ad refellendum: paratus ad respondendum: expeditus ad laceßendum; hic nunquã ad certamen virtutis prouocatus fuit, nunquam prouocatus: quin libens, in hanc ædem sacratißimam accesserit, accurrerit, aduolarit; hic nunquam, in disputando laceßitus: quin aduersarios, vobis spectantibus momorderit, vexarit, dilacerarit. Date Patres: qui illum nostis: date Senes, qui illum audistis: date debitum, illius virtuti testimonium: redite in memoriam tanti viri; vos enim in disputationibus publicis, in comitijsq; Generalibus fratrum, hic habitis, vos illum, vestræ ciuitatis honestandæ causa, in hoc templum duxistis; vos victorem vidistis: vos quasi imperatorem laurea coronatum, ac triumphantem, maxima celebritate ciuium, summis populi acclamationibus, tubis etiam victoriam canentibus, domum ad nos, tanquam in Capitolium inuexistis. Nũquam tacitus præteribo Franciscum Visdominum, ciuem Ferrariensem, diui Francisci sectatorem: virum illustri laude celebrandum; tanta est enim morum suauitas huius viri, in quotidianis consuetudinibus: tanta copia in docendo: tanta iucunditas in delectando: vis tanta in permouendo: vt hunc, non Pomponium Atticum: non Platonem: non Isocratem: non ipsum Demosthenem imitari, at hos omnes, longè superare dicas; Quis enim,

vitæ iucunditatem Francisci Visdomini; Quis suauitatem sermonis, Quis colloquia grauissima, singularemq; doctrinam, non amet: charam habeat: ac omnibus, corporis voluptatibus anteponat? Quis conciones Francisci splendidissimas, animi plenas, plenas spiritus, venustate conditas, auditorum voluntates, quò velint impellenteis, vnde velint, etiam deducenteis non admiretur, suspiciat, laudet, atq; desideret? Mitto nunc Neapolitanos, viros optimos, ciues illustrissimos: qui, quòd homines nati sint, se beatos arbitrantur: quòd Neapoli, fortunatos: quod Francisci tempestate, felices. Mitto Mediolanum, ciuitatem opulentissimam: quæ multos ab hinc annos, iniurijs temporum iactata, solicitudinibus vexata, suis opibus oppressa, quoad altam Francisci eloquentiam audiebat: miseriarum oblita, recreabatur, reuiuiscebat lætabatur; mitto Romam sanctissimam ciuitatē: quæ cum Francisci desiderium ferre non posset amplius, illum optauit, expetiuit, accersiuit; venit Romam, nō modo charus Episcopis: qui iucundissima illius consuetudine fruebantur: at Cardinalibus quoque iucundus, qui loquenti eius sapientiæ, amplissimi, amplissimum honorem tribuebāt; Mitto Venetias, decus, ac ornamentum, immò solem splendidissimum totius Italiæ: quæ sic auidè, Franciscum dicentem arripiebant: quasi diuturnam famem

mem, diuinæ illius eloquētiæ, explere vellent. Te alloquor Bononia dulcißima patria, ciuitas amplißima: te alloquor bonarum artium procreatrix amantißima, tibiq́ ut debeo gratulor: quæ cum Francisci eloquentiæ, non satietate, at maiore desiderio tenereris: illum sinu tuo, læta, triumphansq́ recepisti; atq; ita, ut è complexu, eum abstrahi non patiaris: tantum abest, ut è sinu dimittere velis; laudo; Bononia tuam sententiam: probo consilium: admiror prudentiam; tu enim, quæ sapientia, eloquentia, opibus, animi altitudine, atq; liberalitate vales, ut cum maximè: ut eodem itinere, atq; cursu (ut aiunt) duo negotia conficeres: & Franciscum Ferrariensem, ciuitate donare, honoribusq́ complecti voluisti: & per illum, Ferrarienses, quibus cum amantißimè vixeras, tibi in perpetuum deuincire. Quid dicam de Felinio Sandeo, Antonio Beccario, Ioanne Sanctio, ciuibus Ferrariensibus: quos non opes tumidæ, non aura popularis, non cæca Fortuna, at illorum singularis probitas, optimum ingenium, exquisitißimaq́ doctrina, summis Episcopatus honoribus decorauit? Quid de Hippolyto Estensi, Cardinali amplißimo, cuius altitudo, maiestas, amplitudo, non dico Ferrariæ, at Romæ, at Senis, Florentiæ, Mediolani, Bononiæ, at in tota Italia, in vniuersa

Gallia, quasi lumen quoddam diuinum splendescit, ac celebratur? frequentant eius domum splendidissimam, illustres viri, Equites, lectissimi, nobilissimi Comites, episcopi omni vitæ sanctitate integerrimi: aluntur in eius lautissima domo, tanquam in Prytaneo, viri virtutibus omnibus exornatissimi. Alitur hic Gabriel Cesanius, studio philosophiæ præstantissimus: ob ætatem, eximiãq; virtutem, omni admiratione dignissimus; alitur hic ciuis noster, Ioannes Antonius Lucatellius, iuuenis optimus, scientissimus philosophus: quem, nisi suspitionem adulationis vererer, non auditorem Buccaferreæ, at alterum Buccaferream, vbiq; locorum, verissimè prædicarem; alitur hic Ioannes Baptista Nicolutius, græcarum literarum peritissimus: quem si Apollonius Rhodius audiuisset: vt doluit, imperium, per duces Romanos, Romam inuectum, eloquentiamq; per Ciceronem: sic doluisset, literas græcas Ferrariam, per Ioannem Baptistam importatas; aluntur & summo cum honore, alij quàm plurimi, temporis defectione, nunc silentio prætermittendi. Reuixerunt per te, illustrissime Hippolyte, reuixerunt in hac ciuitate, Athenæ bonarum artium & disciplinarum inuentrices; reuixerunt studia philosophiæ grauissima; reuixerunt, & conuiuia Platonica, corpus epulis suauissimis, animum verò, grauissimis disputationi-

tationibus nutrientia. O si videam, antequam moriar, ò, si videam, post Pium pientissimum, nostrumq; sancti ssimum Pontificem, te reipublicæ christianæ clauum tenentem: ac in puppi, cum maiestate sedentem: videbo etiam, summa cum animi voluptate, & meis, & Ferrariensium optatis, fortunam respondisse: & te hoc amplissimo gradu, tuaq; virtute propè diuina, cæterorum quidem omnium fortunam, longè superasse. Sed de cursu orationis, me deflectunt viri sanctissimi huius nobilissimæ ciuitatis, rerumpublicarum non modo lumina præclarissima, at perpetui quoq; ciuitatum, benè constitutarum seruatores. Delapsum, delapsum fuisset, ciues; hoc imperiū tametsi seueris legibus sit deuinctū: nisi diuus Romanus in calamitatibus, ei, rogatu bonorum, suis precibus ad Deum, subuenisset; Cecidisset hæc vrbs, tametsi munitissima nisi diuus Albertus illius, perpetuus intercessor, eam suis deprecatiouibus tenuisset; arma vobis, & robustissimis, & fortissimis ciuibus, de manibus fluxissent: at diuus Georgius vestri patronus, & custos amantissimus, vobis manus, & animos, semper confirmandos curauit. Quid? nonne Maurelius, olim vobis Episcopus in terris, nunc in cælis perpetuus deprecator, nonne plurimo adiumento vobis, & huic ciuitati fuit: si vos tanta vigilantia custodiuit? si vestras animas fide armauit?

spe

ſpe incendit? charitate inflammauit? Male male, ne dicam peſſime, cum veſtris animis, male cum veſtra ciuitate actum fuiſſet: ni Maurelius, huius templi parietes, huius ciuitatis domos, huius vrbis mœnia, cultu Dei amoreq; circumuallaſſet. De quo viro ſanctiſſimo, inauditum à veſtris maioribus audiui, vobis, iuuenes, inauditũ referam: vt ciuitatum conſeruationes, non principum potentiæ, non ſenatorum opibus, non vigilantiæ ciuium, non ducum prudentiæ, non armis militum, non fortunæ temeritati; at religioni, at probitati, modeſtiæ, precibus, ſanctitati, acceptas referatis. Maurelius cum in æde diui Georgij, quodam die, rem diuinam Deo Optimo Maximo faceret: vſitata bonorum frequentia ſtipatus: vox & manus, (erigite aures, ciues amantiſſimi, erigite animos: adhibete diligentiam: adhibete fidem orationi; hæc non ægrotorum inſomnia, non vetularum fabulæ, non poetarum confictiones, non vuulgi rumores: at Dei mirabilia, à grauiſſimis viris, poſteritati, atq; literis commendata) vox & manus. [inquam] magno ſilentio, omniumq; ſtupore, in oculos ciuium, & aures delapſæ ſunt de cœlo: manus, ſpectante populo, populum vniuerſum, ſigno Crucis ſanctiſſimo muniuit; vox verò, audientibas omnibus, altè intonuit: Quoniam, Maureli, terrenas diuitias, obſcœnas voluptates, opibus cœle-

stibus, ac cœli triumphis, inferiores duxisti: lætaberis cũ angelis; locupletaberis in cœlis; vbi summo otio, perpetua tranquillitate, sempiternaq; beatitate, beati beatissimè perfruuntur. O, ter felices Ferrarienses; nonne felices: si Dei vocem exaudierint? Si signo Crucis, Christi beneuolentiam sibi conciliarint; si manum illam viderint; quæ cœlum, quæ terram, quæ mare, ex nihilo, ex nihilo, Philosophi, procreauit? Ex qua quidem manu, manauit huius ciuitatis conseruatio; ex qua manu, manauit huius imperij amplificatio; ex qua, manauit horum ciuium felicitas, pax, otium, & secunda belli fortuna. Quid Igitur mirum, si hoc imperium tandiu permanet: ac in dies magis, temporis diuturnitate confirmatur? Domini est terra, & hoc imperium. Quid mirum, si stat hæc vrbs, cum dignitate, floret cum honore? Dominus illam exædificauit. Quid mirum, si in hac ciuitate, ab armis non discedunt iuuenes, non senes à consilio, non boni à precibus, non ciues à vigilantia, non princeps ab æquitate? Dominus tuetur, atq; custodit hanc ciuitatem. O, singularem huius vrbis beatitatem: quam non opes perniciosæ, at sanctæ leges, non molles delitiæ, at duræ scientiæ, non cæca Fortuna, at oculi Domini, summa vigilantia custodiunt. O, inauditam, huius ciuitatis felicitatem. Quid? nonne felix Ferraria, si natura dux vitæ opti-

tæ optima ciues Ferrarienses, ad honestatem excitat? excitatos consuetudo incendit? incensos Ratio dominans, in homine, inflammat? Quid? nonne felix Ferraria, si in eo genere rei publicæ est constituta: quod ad Dei gubernationem, proximè accedit; atq; illi est quam simillimũ? Vt enim, Vnus Deus rerum omnium dominator æternus, cœlum, Terram, Mare, & omnia, nutu, & incredibili prouidentia, regit: sic Vnus Alfonsus, princeps Vester illustrißimus, Iustitia, & æquitate, cunctà huius ciuitatis regit, & gubernat: Deo cultum debitum adhibendo; ius suum cuiq; tribuendo; iniurias propulsando: Quid post homines natos melius, quid splendidius, quid Vtilius Iustitia, in Viro principe, desiderari potest? Siquidem Iustitia, à Deo delabitur in terras: Vt mentes hominum extollat; pietatem erigat; religionem conseruet; ciuitates è paruis, magnas faciat; è seditiosis pacatas; è miseris fortunatas; Iustitia, patres, iacentem libertatem erigit; dignitatem ciuium, Vel animam efflantem, ad Vitam reuocat; ciues beneuolentia coniungit: subditos obtemperantes facit; at principes, & illustrißimos, & iustè imperantes. Sol Igitur huius ciuitatis, & Sol quidem splendidißimus est ob suam Iustitiam Alfonsus princeps Vester illustrißimus: qui sua altitudine, Vos exornat; suo splendore, Vos illustrat; suo calore, Vos nutrit; sua

incredi

incredibili prudentia, vos gubernat; dum hæc cogitas, paras, atq; facis, princeps illustrissime. num tibi, an patriæ, an tuis ciuibus, te procreatum credimus? Nonne iurè, te admirari, te suspicere, te laudare, te parentem patriæ appellare debent uniuersi: si tuas aures iustissimas, omnium querelis patefacis; bonorum animos afflictos recreando; diffidentes confirmando; cunctantes excitando. Ne viuam, ni te, huius ciuitatis viri omnes iustissimũ prædicant: ni te, ad suam ipsorum vtilitatem, de cœlo delapsum confitentur. o felix Ferraria, ob Alfonsi principis æquitatem; Quid, si florens, ac beata? Exultate Igitur, gaudio pueri; gestite adolescentes; lætamini iuuenes; gaudete senes; quando eùm principem nacti fuistis: qui sua iustitia, sanctissimos mores, ad perniciem delapsos excitauit; qui res vestras afflictas subleuauit; abiectas, florentes fecit: secundas verò, splendidissimas. Rediuit, rediuit, auspice Alfonso, duce Alfonso, dicam ciues, nonullorum pace, Rediuit in vestram ciuitatem, ne scio quo fato, quáue calamitate, dimissa Iustitia; rediuit & aureum illud seculum, omnibus expetitum, heroicis temporibus, tantopere laudatum; Iam plena sunt omnia lenitatis, & clementiæ, iam omnia mansuetudine, splendore, humanitateq;, ob principis æquitatem florẽt; nunc Ferraria: tibi venti sunt secundi, nunc tibi fere

na omnia, & pacata nunc omnia tranquillitatis plena, hac aurea ætate rident; Vbi enim Iusticia (dicite iurisconsulti) nonne ibi, & constans, & perpetua voluntas est, ius suum cuiq; tribuendi? Vbi Iustitia (dicite ciues) nonne ibi portus est miserorum, ac perfugium? Vos appello philosophos, vbi Iusticia: nonne ibi mansuetudo, lenitas, clementia, cæteræq; virtutes regnant: si sunt arctissimo necessitudinis vinculo, inter se colligatæ? In hac vestra ciuitate, in hoc aureo seculo, Alfonso florente, cui nostra Religio, se totam tradidit, & commendauit: Nostri Patres, conuentum generalem habere voluerunt: vt Alfonsi clementia, ciuium lenitate, diuitum splendore, bonorum mansuetudine, Doctorum humanitate, singulariq; doctrina fruerentur: Cuncta illis, & prospere, et feliciter obtigerunt: atq; ita, vt felicius res exoptari nõ potuissent. Quare immortali, vobis, vestroq; principi, beneficio deuincti Nostri Patres, & tanti beneficij memoriam, quoad vixerint, conseruabunt; & in patriam ventis, ac remis redire properantes: vbiq; locorum, vestram doctrinam, vestram liberalitatem, principis clementiam, magnificentiam, æquitatem, cum sermone, tum literis, non inuiti celebrabunt.

DIXI.

ERat mihi in animo, quaſdam voces græcas, quæ in hanc Orationem apte cadere viſæ ſunt, literis, vti par erat, græcis, mandare. Verùm cum apud Typographos Bononiæ, characteres græcos non inuenerim, præter hos paulò maiores, & eos quidem ſuis accentibus, ſpiribusq; carenteis: nihil erit, quòd me accuſes (humaniſſime lector) ſi hoc, vel animi, vel oculorum delectionem nullam habeat; præſertim cum ipſe omni culpa vacem.

ERRATA TYPOgrapho condonanda.

Pagina 3. lin. 12. præſtó pro præſtò.
Pag. 8. li. poſtrema, verſanteis, pro verſantes.
Pag. 9. lin. 1. ſummo cum fulg.. pro ſummo fulgore.
Pag. 12. li. 16. veſtrum, pro veſtrùm.
Pag. 16. lin. 3. hominam pro hominum.
Ibidem lin. 2. ſanſtiſsme pro ſanctiſſime
Pag. 29. lin. 16. deprecatiouibus, pro deprecationibus
Pag. 30. lin. 23. audientibas, pro audientibus.

Bononiæ per peregrinum Bonardum.
1560.